

equi publici. Ergo Valeas. mox plura habebis. si placet, respondeas ad haec.

In *Lamio* notaui locum punctis nigris, examines Tu, totam illam lineam, quae in spina dorsi solummodo deficit.

Linn. Soc., Vol. I: 388.

128.

Fautori suo Optimo

S. P.

Ioannes Bartsch.

Tuum ad meas litteras responsum frustra hactenus expectaui, optans summpere, vt culpa Tui silentii non forte deuoluatur in me. De indice Boerhaauii hoc habeas a Bibliopola responsum, quod nihil nisi vltimum eius habeat folium, hinc illum seorsim vendere vix posse, ne residua quae seruat Exemplaria reddantur incompleta, hinc ipsi inutilia.

1. Cum Tetrandriae Monogyn. ciues disponere vellem, maxime me offendit subdivisio 2^{da} et 3^{tia} in Tab. Tuis. Attamen addiscere volebam ex Boerh., quid sint stellatae Raji, vt scirem, quam ob causam deberem plantam, quae mihi occurreret, eo reponere. Inueni defin. hanc:

In illis est Flos hermaphroditus, nudus, monopetalus, ouarii apici innatus, absque caliculo, parte inferiori vtcunque tubulosus, superiori quadrifariam in IV. segmenta acuta stellatim expansa profunde sectus, raro in quinque, part. 1. p. 147.

Contra eam obicio: 1) non inueni in Tuis, quae in Tab. ad stellatas retulisti, generibus, Florem nudum; ratio in Characteribus ear. datur et Calix et Corolla.

2.) Nonne sufficeret consideratio floris; cur ergo ad Rajum confugiendum, vt situm relatiuum ad Ouarii apicem examines.

3.) Non inuenio esse flores imperfectos, probo: Quia in Characteribus Tuis eis omnibus tribuitur Calix.

Vt ergo eis me eriperem angustiis, ignorans quid sint stellatae R., cepi consilium, annon possem ex Tuis generum illorum characteribus ex flore inuenire subdivisiones Ordinis, quantum in illis solatii inuenirerim, iudices ipse ex adposita schedula; et si male egerim, aut errauerim, Tuas correctiones exopto.